



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. IV. Quomodo perpetuitas Beatitudinis formalis cognoscatur à
Beatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

Probatum jam secunda pars Conclusionis auctoritate S. Augustini lib. 10. *Confess.* c. 21. & c. 22. & 23. Omnes, inquit, gaudium vitam beatam vident, & : Ipsa est beata vita, Gaudere, & Deus, & de re, propter re. & iterum. Beata vita est gaudium de Veritate. Denique lib. 8. de Civit. c. 9. laudat Platonis dictum. Summum bonum esse amare Deum.

36. Habet etiam hæc acceptio fundamentum in possessione juridica, quæ potissimum consistit in animi adminiculo, hoc est, in actu voluntatis, quo rem tanquam nostram detinere volumus, sic ergo Amor Dei est actus voluntatis, quo Beatus de bonis Dei perinde ac de suis gaudet. Hinc etiam patet responsio ad argumentum D. Thomæ q. 3. a. 4. in C.

37. DICO 3. Loquendo de Possessione beatitudinis objectivæ magis strictè, illa rectè diceretur consistere in utroque actu, visione nimirum & amore simul sumptis. Declaratur. Possessio enim strictè sumi potest pro appropriatione bonorum alienorum stabili & securâ, cum certificatione nunquam amittendi : sed hæc ratione includit utrumque actum : nam Visio primo omnium certificat formaliter, est enim actus iudicii de perpetuitate tum visionis, tum amoris (eo sensu, quo postea explicabitur) deinde Amor est actus formaliter approprians bona aliena, & vel maxime delectans eâ delectatione, quæ attribuitur beatitudini formali.

38. Confirmatur. Per beatitudinem formalem, completè sumptam, rectè intelligitur complexum ex illis actibus, qui in patria immediatè veriantur circa perfectiones divinas, tanquam motivum suum : sed tam visioni, quam amori hoc convenit ; ergo uterque simul est beatitudo formalis, strictè & completè sumpta. Et sic patet, tres relatas sententias in eo solum differre, quòd magis placeat hæc, quam illa acceptio Possessionis, cum tamen omnes sint propriæ.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo Perpetuitas Beatitudinis formalis cognoscatur à Beatis.

Conveniunt DD. quòd ad consummationem beatitudinis pertineat, ut Beatus aliquo modo cognoscat, & quidem certitudine metaphysicâ, se Bonum infinitum possiturum in æternum. Quæstio est, quomodo, & per quam cognitionem id cognoscat.

P. Martinus Esparza docet, Visionem Dei videre, se determinatè duraturam æternum, videndo decretum Dei de eâ æternum conservandâ.

39. DICO 1. Repugnat Visionem Dei videre determinatè, se æternum duraturam, in decreto Dei. Ita cum communi docent Card. de Lugo & Ant. Perez. Probatum. Si visio vide-

ret, se hoc modo perpetuò duraturam, esset ex intrinseco prædicato indispensabiliter æterna à parte post : consequens est absurdum. Ergo. Sequelam concedit P. Esparza, & facillè demonstratur : haberet enim visio ex intrinseco prædicato essentialiter connexionem cum hoc determinato decreto, tanquam suo objecto, utpote essentialiter vera. Decretum verò, utpote efficax, est pariter connexum cum conservatione æternæ visionis. Sequelam autem esse absurdam, probant communiter : quia Ens, ex intrinseco prædicato indestruibile, præjudicaret perfectissimo dominio Dei : ad hoc enim spectat, posse quæcumque creaturam, potentia antecedente, pro libitu destruere, & hoc apud Theologos adeò receptum est, ut Vasquez 1. p. d. 182. n. 9. dixerit, oppositum erroris notam mereri : & Suarez lib. 1. de Angel. putaverit, hoc esse de fide, quod etiam asserit Tannerus 1. p. d. 5. q. 1. dub. 3. n. 15.

40. Respondet tacitè P. Esparza, hæc intelligenda esse de Ente, quod ob sui perfectionem esset indestruibile, non verò de Ente, quod præcisè propter connexionem cum decreto Dei esset indestruibile.

Sed contra est primò. Visio, videns se essentialiter duraturam in decreto Dei, est utique perfectior, quam esset visio non videns huiusmodi sui durationem, qualis à multis creditur fuisse concessâ S. Paulo, Moyfi, & Beatissimæ Virgini in hac vita : ergo huiusmodi indestruibilitas provenit ex majori perfectione visionis.

41. Confirmatur. Illud est perfectius, quod est magis propinquum fini, & participat plus de perfectione divina : sed visio, ratione huius essentialis indestruibilitatis, est propinquior fini, immò est ipse finis hominis, & participat plus de perfectione divinâ, nempe essentialiter perpetuitatem : ergo repugnat hanc indestruibilitatem intrinsecam non arguere majorem perfectionem, quam aliud Ens destruibile ceteris paribus.

42. Contra 2. Omnis diversitas specifica (secundum P. Esparza) fundatur in inæqualitate perfectionis : sed visio essentialiter durans est specie diversâ ab eâ, quæ non essentialiter durat : ergo hæc diversitas specifica fundatur in inæqualitate perfectionis.

43. Probatum jam Conclusio 2. ad hominem contra P. Esparza, qui contra Recentiores docet, nullum actum vitalem esse sui ipsius durationem, sed durare per durationem distinctam, tollentem indifferentiam actûs ad hoc vel illud tempus : unde sic argumentor. Si visio beata videret se æternum duraturam, in quantum habet connexionem cum decreto præsentis, sequeretur, visionem A. ex intrinseco prædicato incipere in instanti A. & non potuisse incipere prius aut posterius, sicque esset essentialiter alligata certæ differentiæ temporis : consequens est contra principium jam relatum huius Authoris. Ergo. Sequelam probò. Visio A. esset essentialiter

connexa cum decreto eam producendi in instanti A. & nec prius nec posterius: ergo sicut propter connexionem cum hoc decreto eam conservandi perpetuò, est essentialiter durans perpetuò, erit ex eodem fundamento essentialiter incipiens in instanti A.

44. Confirmatur. Non est major ratio, cur visio videat in decreto suam perpetuitatem, & non videat sui inceptionem pro instanti A. ergo si ob suam essentialem veritatem est intrinsece indestructibilis, erit ob eandem rationem essentialiter incipiens in hoc instanti.

45. Probatur Conclusio 3. absolutè. In sententia contraria sequitur, decretum Dei de conservanda tali visione, in quantum tendit in ejus conservationem, esse decretum necessarium, hoc est, Deum non posse decernere ejus productionem, quin hoc ipso decernat ejus perpetuam conservationem: consequens est falsum: ergo & id, ex quo sequitur. Sequelam admittit author, & facile probatur. Si enim conservatio, quæ talis, liberè decerneretur, posset decerni oppositum: ergo visio posset falsificari, & destrui: verumque est contra hypothefin, ut patet. Minor autem probatur. Si Deus necessariò decernit conservationem visionis, dabitur inter Decretum & Visionem vitiosus, hoc est, inexplicabilis circulus, qui sic declaratur. Deus necessariò decernit conservationem visionis ex hypothefi existentia: cur? quia visio exigit hujusmodi conservationem: si enim non exigeret ex intrinseco prædicato, tam parùm esset Deo necessarium conservare visionem, etiam posita productione, quàm parùm est illi necessarium conservare alia entia: ergo ideo necessitatur, quia hæc est essentia visionis, & Deus non potest mutare rerum essentias. Jam econtra, ideo visio exigit hujusmodi conservationem indispensabiliter, quia habet connexionem intrinsecam cum decreto Dei, tanquam suo objecto, decernente ejus conservationem, quam propositionem habet Author in terminis; alioquin haberet suam perpetuitatem ex sua perfectione & non merè propter connexionem cum decreto: hic autem vel est circulus vitiosus, vel nullus vnquam dabitur.

46. DICO 2. In sententia docente, quòd actus vitales sint essentialiter fluentes, & sui ipsius duratio, expeditè defenditur, quomodo visio beata videat perpetuitatem visionis in decreto. Nempe Deus decrevit per totam æternitatem aliam & aliam successivè visionem producere, quarum vnaquæque essentialiter infert cæteras, propter connexionem cum decreto. Ita Card. de Lugo. Hac ergo ratione stat perpetuitas visionis cum ejusdem physica destructione quoad singulas ejus partes fluentes.

47. Quæres: quidni facilius cum P. Antonio Perez dici posset, quòd visio beata videat in decreto, non quidem se determinatè duraturam, sed vel se, vel aliam: hoc modo non ar-

gueretur intrinseca indestructibilitas visionis, quia ejus essentialis veritas salvaretur, etiam si non hæc determinatè, sed alia ejus loco produceretur. Hac ratione non esset necesse ponere visionem fluentem. R. Me non admittere in Deo hujusmodi decreta disjunctiva circa effectus, quos Deus absolutè decernit, & exequitur, & qui à solo Deo determinantur, ut in prima parte dictum est. Cùm ergo hæc numero visio semel producta, ipsamet, & non alia ejus loco, sit perseveratura, hoc ipso, si hæc numero visio videret præfens decretum, de hac numero visione conservanda, haberet cum hoc decreto intrinsecam connexionem, quam P. Perez vult evitare.

48. DICO 3. In sententia docente, actus intentionales esse qualitates permanentes, videt Beatus perpetuitatem suæ beatitudinis per cognitionem realiter distinctam ab ipsa visione beatifica: & per illam vel habet evidentiam in attestante de perpetua conservatione visionis, vel videt ipsam visionem, exigentem connaturaliter non destrui: si primum dicatur, habet Beatus certitudinem metaphysicam, fundatam in Veritate Dei: si dicatur secundum, habet quidem Beatus solam physicam certitudinem de duratione perpetua visionis jam existentis, attamen ex alio capite potest habere etiam certitudinem metaphysicam, quòd vel hæc visio, vel alia ejus loco, sit duratura in æternum, quia Beatus potest metaphysicè certus esse, quòd, si Deus vellet hanc visionem contra suam exigentiam destrui, deberet hoc per aliquid æquivalens compensare, ut in prima parte dictum est; hæc autem compensatio non posset esse alia, nisi substituendo aliam visionem impossibilem cum priore, adeoque in eodem intellectu.

49. Posset etiam cum Card. Pallavicino dici, non esse necesse, ut Beatus habeat certitudinem metaphysicam de perpetuitate visionis, sufficere certitudinem physicam ad excludendam omnem sollicitudinem: nemo enim est anxie sollicitus de eo, quod, si fieret, esset inaudibile miraculum, sic nemo est sollicitus de annihilatione mundi.

50. Obijcies. Cognitio perpetuitatis videtur esse de essentia beatitudinis formalis: ergo debet identificari cum visione beata. R. Longè communiorem esse sententiam negativam. Illi verò, qui putant, pertinere ad essentiam beatitudinis, docent, totam essentiam beatitudinis consistere in aggregato ex visione Dei, & alia visione de perpetuitate. Prior tamen sententia videtur præferenda; quia ad essentiam beatitudinis sufficit radicalis certitudo, sicut sufficit radicalis negatio tristitia, ut colligitur ex humanitate Christi, quæ in hac vita habuit beatitudinem formalem, conjunctam cum actuali tristitia, quam admisit per dispensationem, sicut & alios dolores.